MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (PARS III)

Heiligenkreuz, 1183/1200 Seite 227v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30296
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

capitanei homicide Tunna Gomonque paucis secum assumptis cubiculi quo dei famula incumbebat ostium disrumpentes ingrediuntur bachantes. Quibus beata Ludmila humili sub voce. Que nam vos inquit repentina insania agitat? Et non erubescitis neque mente pertractatis quemadmodum egomet vos ceu filios proprios educavi, auro argentoque vestibusque insignibus ditavi? Verum si quid in vobis mea iniquitas ineat, michi intimate queso. At illi furentes saxis rigidiores, aures ad hoc obdurantes, non veriti sunt manus proprias in eam inicere, lectoque extractam terre tenus proiecerunt. Quibus illa paulisper inquit orationi me incumbere sinite. Quibus concedentibus expansis oravit ad dominum manibus. Post hec inquit: Mei interitus causa si advenistis, obsecro mucrone auferte caput. Exemplo martirum sanguinem fundendo testimonium Christo perhibere gestiens, ac palmam martirii cum ipsis sine fine percipere optans, quam etiam eam promeruisse non dubitamus, quoniam sacra testatur scriptura: Iustus quacumque morte preoccupatus fuerit in refrigerio erit anima eius. Funesti quoque carnifices preces eius verbaque spernentes, fune gutturi eius immisso, suffocatione vitam illi abstulerunt presentem, victura in evum cum eo quem semper dilexit Ihesu Christo domino. Suscepit autem martirium felix domnaque devota famula septima sabbati die, xvii. k. octobris, prima vigilia noctis. Clerus vero eius cunctus universique vernaculi utriusque sexus, pastore perempto in diversa sparsi, diversis in latibulis latitantes vitam presentem sibimet conservaverunt.

Post hec recedentibus crudelissimis carnificibus, ad funeris eius officium cum magno metu et ululatu convenientes, honestissimeque cuncta que ad sepulturam fore cernebantur peragentes, terre glebam eius sanctissimam commendaverunt. Cruentissimi vero carnifices spoliis direptis ad propriam dominam regressi, gaudium illi permaximum intulerunt de nece innocentis, estimantes se in eternum locupletari atque in eternum victores. Quibus atrocia et inextinguibilia gehenne ignis supplicia parata mox inerant. Prefata autem domina perfidorum usurpans supellectilem socrus sue cunctam cum ante dictis tyrannis regnare cepit, ditans eos propinquosque eorum ac familiam opibus eximiis auri argentique vesteque preciosa inestimabili, regnaveruntque in tota provincia Boemiorum velut magnifici duces, sed non ex deo. Quibus opipare viventibus atque inestimabiliter gaudentibus letantibusque ultio iusta divine vindicte inpulse subsequitur impios, qui tam grande tamque crudele piaculum non horruerunt patrare, quo manus suas in honestissimam in preclarissimam dei famulam moverent absque causa. Namque patre suo principe discordiarum diabolo exagitante coevos coetaneosque ceperunt contemptui habere omnes. Qua de re excrevit dissensio odiumque permaximum inter ipsos primarios supranominatos, Tunnam videlicet Gomonemque dominamque ipsorum, ita ut omnis cogitatio sermoque domine de interitu eorum die noctuque versaretur. Quod cernens memoratus Tunna tyrannus, irruente in se pavore terribili, cum cunctis sibimet affinitate iunctis ex eadem provincia labens fuga omnibus exosus, vagus profugusque huc illucque versatus est, nemo quoque ex stirpe illius progenitus in patria ulterius reditum habuit. Gomon autem cum fuge latibulum cum suo germano quereret, comprehensus atque sinodali sententia addictus cum fratre vitam presentem pariter et futuram amisit. At vero domina eorum cernens eos fugientes, omnem venenosi pectoris furorem in posteros eorum diffundens, universos a maiore eorum usque ad minimum una die unaque sententia perdidit. Hocque primum signum sancte Ludmile claruit, quod dum dei disponente providentia ex interfectoribus eius nullus superfuit. Alii de propriis habitaculis secedentes et in diversa fugientes cunctisque exosi divina ultione tacti exalaverunt spiritum vite. Parvuli eorum impiissima morte defuncti, quam plures vero capite gladio plexi sunt. Et impletus est sermo domini quem in evangelio inquit: Omnis qui acceperint gladium gladio peribunt. Hisdem vero diebus ad tumulum beatissime et sepe memorande venerabilis matrone Ludmile ac martiris, divina cooperante gratia virtutum merita prelata patuerunt. Nam ex eiusdem monumento tanta fragrantia miri ac suavissimi odoris emanavit, que cunctorum aromatum floriumque odoramenta evinceret. Quam plures etiam cereos lampadesque lumine flagrantes divino intempeste noctis silentio terque quaterque hauserunt oculorum acie. Que cuncta dominam interfectricem eius videlicet minime latuerunt. Quibus cognitis timore nimio prostrata quid sibi agendum foret ignorabat. Tandem rursus venenosum instaurans consilium, apparitores suos teninis misit, quo venerabile corpus tumulatum iacebat, in mandatis iubens quo domum beate Ludmile super tumulum ipsius statuerent in modum basilice, aptans eam nomine in honore beati Michahelis archangeli, quo si deinceps inibi claruisset signum aliquod, non meritis beate martiris, verum sanctorum quorum pignora inibi detinerentur deputaretur. Sed non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra dominum. Prevaluit divina virtus in miraculis, et nichil profuit invidiosa malicia interfectricis illius que martiris sancte Ludmile obscurare merita et Christi contegere nitebatur miracula. Pro his omnibus victricem manum eius laudemus, qui semper triumphat in sanctis suis, qui est laudabilis et gloriosus in secula, qui in trinitate perfecta vivit et regnat deus per omnia secula seculorum amen.

.G. xvi. k. octobris. Passio sancte Lucie et Geminiani martyrum.